



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Ad Evangelium Feriæ, de discipulis congregatis in cœnaculo, quibus
apparuit Christus, januis clausis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

III. PUNCTUM.

Sic ergo est in patientia impassibilitas, quantum quidem impassibilitas animæ potest esse in corpore; nam & eam pati oportet necesse est, quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam: sed si patienter patiat, non corrumpetur anima, licet aggravetur, & in corrupta manente anima, sit illa mentis impassibilitas, quæ tam pretiosa est, ut ab Apostolo *Theaurus* nominetur, & quanta in se suisque esset, sic luculentè describit; *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur sed non desistimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus. Et paulò post: Vt in nullo detrimentum patiamini.*

Hoc est esse incorruptum & impassibilem, sic esse illæsum & invulnerabilem in mediis hostibus, non ut minimè patiaris, sed libenter: non ut minimè sentias mala pœnæ vel culpæ, sed ut illa patienter feras, & hæc religiosè fugias. Hæc est vera Philosophia, quæ nec insensibilem in malis reddit, neque minis sensibilem. Sic præclare S. Gregorius de constanti Jobo; *Quia, inquit, vera Philosophia regulam tenuit, contra utraque, mira se æquitatis arte servavit, ut nec quasi dolorem non sentiens flagella sperneret: nec rursus, ultra modum, dolorem sentiens, contra iudicium flagellantis insaniret. Cunctis enim rebus perditis, cunctis liberis amissis surrexit, scidit vestimenta sua, & ronso capite corruens in terram, adoravit.*

Quod vestimenta scidit, quod ronso capite in terram corruit, monstrat nimirum, quia flagelli dolorem sensit: Quod vero additur, adoravit, apertè ostenditur, quia in dolore positus contra flagellantis iudicium non excessit. Non omnino ergo non motus est, ne Deum ipsa insensibilitate contemneret: nec rursus omnino motus est, ne nimis dolendo peccaret.

Tu quidem satis esse velles impassibilis, nihil patiendo, nihil sentiendo: sed erras toto cælo, nam non est impassibilitas, nolle pati, sed potius velle. Nemo magis aut minus est passibilis, quàm qui magis aut minus velit pati. Sic velis pati libenter, ut patiendo non pecces, & impassibilis ac beatus existeres. Sic egregiè Salvianus; *Nulli ut opinor beatiores sunt, quàm qui ex scientia sua atque voto agunt. Humiles sunt Religiosi, hoc volunt: pauperes sunt, paupertate delectantur: inhonorati sunt, honorem respuunt. Itaque quicquid acciderit iis qui verè religiosi sunt, beati esse dicendi sunt, quia inter quantumlibet aspera, nulli latiores sunt, quàm qui hoc sunt quod volunt. Nonne id ita iudicas? cur ergo non ita gaudes in alperis?*

L. 1. de vero Iud. & Prov. Dei.

Ad Evangelium Feria, de Discipulis congregatis in cenaculo, quibus apparuit Christus, januis clausis, Luc. 24.

Habetur ejus consideratio Feria 2. hebdomadæ 3. post Pascha.

Videri etiam debet Dominica prima quæ in Albis dicitur.

Ac denique Christo ingredienti domum januis clausis, opportuna esse possent, quæ proponuntur proximè sequenti Feria.

FERIA QVARTA. DE SUBTILITATE CORPORIS Christi,

Et animæ nostræ simul cum eo resurgentis.

Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale, 1. Cor. 15.

VERITAS